

Joh. Conradi Fueslini, v.d.m. & pastoris Feldheimensis dissertatio apologetica pro iudicio suo de doctrina Io. Calvini

Autor(en): **Fueslinus, Conrad**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - **(1747)**

Heft 8

PDF erstellt am: **22.07.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-394616>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

JOH. CONRADI FUESLINI,

V. D. M. & Pastoris Feldheimensis

Disfertatio apologetica

pro Judicio suo

de

Doctrina JO. CALVINI.

DUbitas, Vir Cl. num librum CALVINI
de *Prædestinatione & Providentia* (a) lege-
rim; in Novis Literariis Particulæ VII.
MUSEI HELVETICI ita scribens: *Provocabunt illi*
ad

(a) Jure quodam suo a nobis postulavit Rever. & Cla-
riss. Pastor Feldheimensis, ut his vindiciis in ista M. H.
Particula locum concederemus: atque etiam, ut fervidum
est ejus Viri ingenium, minus a nobis hoc officii genus
extorquendum esse censuit; quos tamen ad aliorum per-
inde atque ad sui defensionem paratos & proclives esse
supra vota sua deprehendit. Itaque, quum fidem, qua
nos sibi obstrinxit, exsolvimus, si minus gratum fuerit,
quod præstamus officium, non aliud reliquum est solati-
um, præterquam illud Getæ Terentiani:

Tute hoc intristi: Tibi omne est exedendum. - - =

Atqui statim a principio Disfertationis suæ iniquius acce-
pisse videtur, quod non omnino asseveranter locutus fue-
rim de eo, utrum Calvinii libellum de *Prædestinatione &*
Providentia, an. 1550. seorsim editum legerit? Sed pa-
rum novit meum ingenium, quod a temerariis suspicio-
nibus magnopere abhorret, probe enim intelligo suspicio-
nes contrariis suspicionibus facile refelli: quare etiam non
omnino probare potui, quod ipse Rever. Pastor Feld. in

ad eundem Calvini libellum de Prædestinatione & Providentia Dei, An. 1550 seorsim editum, ex quo Apologia

postrema sua Præfatione judiciis suis toties meris suspicionibus probabilitatem aliquam conciliare studuerit. v. c. p. XVII. „ VIELLEICHT ist die Ursach gewesen, weil sie „ allezeit zum Frieden und zur Vereintigung geneigter gewesen sind, als ihr Gegentheil. „ p. XXIX. „ Der „ Herr Abt ist allem Anschein nach durch die Memoires „ des Bischoff Burners verleitet worden. p. XXX. Durch „ die Heuchler SCHEINT er die Papisten zu verstehen, „ durch die Enthusiasten aber die besonders so genannten „ Calvinisten. p. XXXIII. Burnet war ein Bischoff, dennoch SCHEINT es das ihn diese verdriessliche Leidenschaft gegen die Presbyterianer sehr eingenommen gehabt habe. „ Ibid. „ Burnet schriebe dieses, mehr, „ wie ich VERMUTHE, aus ungeneigtem Willen, als „ nach einer reifen Ueberlegung. p. LIV. „ Cudworth „ hat zwar die Calvinisten mit Nahmen nicht genennet, „ aber man kan mit Hænden greiffen, das es sie meyne, „ ne. &c. „ Sed, ut ad me redeam, possem quidem Rever. Pastori Feldh. respondere, illum verba mea aut non recte intelligere, aut malevole interpretari, cum ita loquor: „ *Cl. Fueslinus sua ex hoc libro hausisse VIDERI* „ *RI vult.* „ Quid eum cogit hæc verba ita accipere, quasi dubitationem aliquam involvant, quum ex probatis finorum Rom. Scriptorum usu sæpissime rei confirmandæ inserviant: atque a Grammaticis dudum est probatum verbum VIDERI, ut Græcorum Δοκεῖν, dici sæpe in aliis rebus de eo quod certum esse scimus. Quod si tamen hæc dubitanter esse accipienda velit, non repugno, sed crimen agnosco: Immo id ipsum, de quo ipsi videor antea subdubitasse tantum, id nunc sine ulla dubitatione assevero, nim. Rev. Fueslinum istum Calvigi Libellum de Prædestinatione & Providentia, ad quem eum ablegaveram, non legisse, qui tamen ante omnes alios non videbatur negligendus illi, qui de mente ac sententia Calvini, quod ad hæc Doctrinæ capita adinet, recte statuere velit, atque etiam ejus Systema in ordinem cogere, idque emend.

*logiæ suæ fundamenta hausisse VULT videri Cl. Fuesli-
nus.* Ego vero affirmo tibi, me libellum hunc le-
gisse, antequam Præfationem illam scripserim,
quæ te morata est, quæque tibi ansam præbuit,
dicta factaque quædam mea (b) carpendi. Si hoc
affirmasse tibi non sat fuerit, hæc mea Disfertati-
uncula tibi probabit, spero, quod verum dicam.
Tu contra me in quædam dubia coniecisti, quæ
mihi (c) vix eximere poteris. Primo dubito,
an

dare ac reformare se posse confidenter profitetur: Qui
enim fieri posset, ut legerit Libellum, quem nunquam
vidit, & de quo adhuc dubitat, num unquam in rerum
natura extiterit. Itaque quamvis etiam jurejurando inter-
posito affirmaret, se istum Libellum legisse, nullam pos-
set mereri fidem.

(b) Scilicet id mihi sumsi, quum Rev. Pastoris Feldh. Præ-
fationem recenserem, ut dicerem: „ Eum Calvini caus-
„ sam ita agere, ut Adversariis VIDERI possit Calvino
„ alienos, hoc est, suos Sensus affinxisse. „ Hanc mo-
destam ac timidiusculam judicandi (non CARPENDI) li-
bertatem nisi possit æquo animo perferre Rever. Feldh.
Pastor, non aliud consilium superest, quam ut libris scri-
bendis supersedeat; aut in posterum ipse vel per eos,
quos habet sibi obnoxios, libellos suos recenseri curet,
ceteros ut profanos ab hac opera arceat hac epigraphe:

Pinge duos angues: Pueri sacer est locus!

Ceterum meminisse eum oporteret, non posse se quic-
quam impune aut dicere aut agere, quin alii sibi de eo
libere judicandi potestatem arrogare audent, nisi quum ex
officio pro concione publica verba facit; tunc eum quem-
quam interpellare grande nefas foret.

(c) Prius hic scriptum legebatur: „ *quæ mihi exci-
„ mas rogo.* „ Sed quum hæc relegeret Rever. Pastor ha-
buit animum suspicionum fiducia jam magis obfirmatum.

(d) an exemplum libelli supra commemorati, ad quod provocas, sit vel fuerit unquam: (e) Quomodo

S s 2

modo

(d) Perit frons de rebus! Scil. non dubitat Rever. Feldh. Pastor, mihi non errorem aliquem, sed imposturæ crimen exprobare, quasi ego tam perfrictæ frontis homo sim, qui ausus fuerim confingere, me præ manibus habere Calvinii Libellum, atque etiam ejus paginas & impressionis annum diserte commemorare ac designare, qui tamen nunquam in rerum natura extiterit.

(e) Qui quæso fieri possit, ut Libellus aliquis, antequam natus & conscriptus est, jam fuerit typis exscriptus? Ita me constrictum tenet illo Contradictionis principio Rever. Pastor, ut fidem habere his meis oculis, aut mihi persuadere, me videre ea, quæ oculis cerno, vix amplius ausim. Sed bono simus animo! meræ sunt præstigiæ argumentationes illæ argutæ: Habeo nunc in manibus meis istum CALVINII Libellum de PRÆDESTINATIONE ET PROVIDENTIA DEI, cujus titulus aperte præfert locum & annum impressionis hunc in modum: GENEVAE. M. D. L. & ne quis forte hic errorem typographicum subesse possit suspicari, adjiciam notam, quæ ad calcem opusculi legitur: EXCVSVM GENEVAE, APVD IOANNEM CRISPINVM, CONRADI BADI OPERA, PRID. NON. IVL. M. D. L. Idemque ut adhuc magis confirmatum dem, addo etiam Epistolam præliminarem Christianis omnibus inscriptam in his finiri: [*Valete. Genevæ. 8. Cal. Julii. 1550.*] In hoc vero Libello pagina 22. 23. & 29. ipsissima hæc adhuc leguntur verba, quæ ego Musei Helv. Partic. VII. p. 469. & 470. me pridem ibi legisse commemoravi. Quod si vero Rev. Pastor nunc quidem plenam fidem mihi adhibere velit, faxo, ut quam alienis non habet, suis non possit denegare oculis. Immo si velit mordicus huic suæ persuasioni inhærere, quasi ille Calvinii Libellus, quem ego an. 1550 publice prostitisse affirmo, demum anno proximo fuerit conscriptus, ostendam illum præstitisse, quod hactenus inter *adivata* relatum est, ut aliquid sit antequam sit, immo ut idem simul sit atque tamen non sit. Quid vero tota

modo enim fieri potuisset, ut exemplum libri 1550 typis evulgatum fuerit, qui sequente demum Anno scriptus est? quod non illo, quo tu commemoras, sed quo EGO DICO, Anno scriptus fuerit, probat Dedicatio facta Calendis Januarii 1552, & testimonium THEODORI BEZÆ, qui *Tractatus theologicos Calvini omnes in unum volumen collectos edidit Genevæ 1576.* forma quam vocant in folio. In hac editione dedit Catalogum Scriptorum Calvini, indicato cujusvis anno natali. Hoc volumine ego uti soleo, cujus pag. 498. iste libellus reperitur. Huic dubio successit aliud multo pertinacius, nam secundo dubito, (f) an illud

hæc vitilitigatio pertinuit ad causam illam de vero Calvinii circa Prædestinationem Sensu, nisi putasset diligenter captandam esse hanc opportune sibi oblatam sopinam ἀβλεψίαν, & imperitiam in me exagitandi occasionem, qua aliam æque commodam sibi unquam deinceps futuram penitus desperavit. Sed ipse sibi malum reperit, atque exemplum dedit, ὅτι σαυτῷ κακὰ τεύχεα ἀνὴρ ἀλλῶ κακὰ τεύχων.

(f) En sic error alius ex alio nascitur, & quo quisque recentior, eo etiam pertinacior: scil.

*Ætas parentum, pejor avis, tulit
Progeniem vitiosorem.*

Hic mihi Rever. Pastor Feldh. omnem prorsus fidem abrogat, affirmanti me legisse Calvinii Libellum de Prædestinatione & Providentia Dei, quem an. 1550 editum fuisse pronuntiavi, & ex quo loca, quæ citatis etiam libelli paginis in medium produxi, a me verbotenus excerpta esse professus sum. Equidem si priori illi asserito, quo existentiam hujus Libelli in dubium vocare non erubuit, sua constaret ratio, ego non intelligo, quo jure quave conscientia jam posset a me etiam postulare, ut *Libellus*

Iud opusculum unquam inspexeris : Loca enim,
quæ mihi objicis, non illo continentur. Sunt ta-

Ss 3

men

qui nunquam extitit, a me potuerit inspicere aut evolvi, aut quod hoc a me factum non sit, id mihi nunc novo, quasi a priore sejunctum esset, crimini dari. Verum neque in his adhuc subsistit Rever. Pastoris Sagacitas, qua nihil tam difficile aut intricatum est, quod non facili negotio expediat: Hunc enim si audias, loca illa, quæ citavi in recensione mea ex *Calvini Institutionibus* subduxi, ita ut loquitur, *ut ne Syllaba quidem mutanda sit*: Libellum vero illum de Prædest. & Provident. Dei an. 1550 editum, totamque hanc fabulam ego confixi. Scilicet ita argumentatur, Vir Rev. qui ubique Theodiceam & Leibnitium crepat; „ Quod ego nescio, illud non „ existit; atqui ego nescio aliud *Calvini Opusculum de „ hoc argumento, præter illud, quod in Opusculis ejus „ theologicis comprehenditur, existere: Ergo aliud non „ existit.* „ At salva res est! dicam nunc aperte, quo fuerit errore deceptus, qui quidem venia dignus esset, nisi inde malæ fidei criminationem adversus me præceptus & fervidum hoc ingenium procudisset; atque etiam aliis errores multo leviores acerbius exprobrare admodum amaret. Nimirum noverat Rever. Pastor extare inter *Calvini Opuscula a Th. Beza collecta Libellum aliquem de æterna Dei Prædestinatione & Providentia, quem Beza an. 1551 conscriptum esse annotaverat: Itaque quamprimum legerat me provocare ad Calvinum ejusdem argumenti Libellum an. 1550 editum, protinus sibi persuasit, cum non alius de eodem argumento Calvinus Libellus ipsi cognitus esset, me in designanda hujus Libelli ætate turpiter hallucinari; mox deinde postquam ea loca, quæ ego ex meo libello excitaveram, in suo inter Calvinum opuscula conjunctim edita frustra quærivisset, eaque etiam in *Institutionum Libro* investigasset, secum confidenter statuit, me manifestæ fraudis reum deprehensum, eumque quem jactarem Libellum in cerebro meo esse confictum: Hinc illa me cavillandi intemperies nata est, quam quomodus in ipso *Disertationis apologeticæ limine**

men *Calvini*, non diffiteor: leguntur *Institutionum* ejus Libr. III. c. XXII. §. II. & c. XXIII. §. 2. & 6. ut ne Syllaba quidem mutanda sit: Hoc solum monendus es, (g) quod verba secundi loci potius Augustini sint, quam *Calvini*.

Sed missis hisce ambagibus ad rem ipsam veniam, atque disquiram, an loca hæc evertant ea, quæ ego de Doctrina *Calvini* dixeram. Antequam hoc facio, obtestor, quod mihi neque animus sit, neque

effunderet a se impetrare nullo modo potuit, quanquam illi causæ, quam agendam susceperat, nihil omnino inserviret. At ego profecto non satis mirari possum acutissimi hominis ἀβλεψίαν, & oscitantiam, quem erroris commonefacere debuisset vel unum hoc, quod illa loca, quæ ex libello meo, titulo diserte expresso, produxeram, in suo exemplo investigare non potuit; ut nihil jam de eo dicam, quod iste *Calvini* de Prædestinatione libellus, qui inter ejus Opuscula theologica conspicitur, non sit privatum *Calvini* scriptum, sed consensum Pastorum Genevensis Ecclesiæ circa hoc doctrinæ caput explicet; atque etiam non admodum obscure indicet, hoc argumentum a *Calvino* jam antea data opera copiosius fuisse tractatum, & clare explicatum. Evidens itaque est Cl. Fueslinum præcipuum & proprium *Calvini* de hoc argumento Scriptum, quod jam CXCVIII annos vere exiit, ne quidem vidisse unquam, immo nihil etiam de illo audivisse aut subfocisse, adeoque ei culpæ esse obnoxium, quam in me talocutus damnaverat: quæ tanto gravior est, quod sibi nihilominus *Calviniani* Systematis explicandi, vindicandi atque etiam emendandi licentiam sumit.

(g) De hoc monito habeo Viro Rever. gratias, quanquam me *Calvinus* ad marginem illius Libelli de Prædestinatione, atque etiam in Institutionibus dudum idem monuerit, se hæc verba ex Augustini Libr. I. c. 3. contra Manichæos transumpta sua fecisse.

neque fuerit, lites in Ecclesia vel ferere vel alere.
 Æque ac alius quisquam doleo, Domum Dei ad-
 versis studiis ita infestam atque laceratam esse,
 obnixè precans benignissimum Numen, ut Pax
 reddatur piis

- - - Pax custodire salutem,
 & cives æquare potens.

Quicquid egi & in præsentiarum acturus sum, Hi-
 storiarum studio fit, quia doctrinas inclytorum
 Virorum, imprimis Reformatorum nostrorum in
 libros historicos transferri video, non quales sunt,
 sed quales auctores pro lubitu fingunt, vel præ-
 judiciis vel erroribus involutas inveniunt. Lites
 inter Doctores Ecclesiæ A. C. & nostræ (h) sopi-
 tas esse dicis. Utinam verum esset, quod dicis,
 tecum plauderem. Sed quomodo sopitæ sunt,
 cum quottidie sentiamus iras illorum, quos nos

Ss 4

Fra-

(h) At ego vero id nunquam ita in universum adfir-
 mavi. Dixi: *Lites inter ÆQUOS utrique parti addictos
 DOCTORES dudum esse sopitas*. Immo vero diserte sub-
 monui, superesse utrinque homines turbulentos & conten-
 tionis faces; quos tamen nos, ex Apostoli sententia, nec
 imitari oporteat, neque cum illis altercando aut convitia
 jactando paria facere. Fac enim, quæ ejus generis cini-
 fiones ingerunt, meras calumnias & putida esse convitia;
 quum & ipsi gentiles agnoverint, *convitia spreta exoles-
 cere*: quantam animi moderationem postulabit a nobis
 sanctior & severior Christi disciplina? Alia profus ratio
 est, si in libris dogmaticis studio ac dedita opera ea tradan-
 tur, quæ Ecclesiæ nostræ aut Majorum doctrinæ atque ip-
 si Veritati, quam profitemur, fraudi esse possint; tum
 demum opus est, ut silentium rumpamus, atque veritati
 iis quibus decet armis contra maledicorum impotentiam
 succurramus.

Fratres salutare cupimus, & si Fratres nostros dicimus, attamen de iis queri debeamus, Fratrum iræ acerrimæ sunt! Quid acerbius dici potest, (i) quam *Zuinglium* nostrum fuisse hominem fanaticum atque impium? quid iniquius atque crudelius: *Calvini* doctrinam *Hobbessii* & *Spinozæ* placitis, quibus pietati & religioni evertendæ nihil efficacius excogitari potest, affinem esse? An hæc contumelia ferenda est? An hoc pacto Pax redimenda, ut homines æquissimos atque pientissimos ita traduci patiamur? An pax illa erit stabilis, si his, quos nos Fratres putamus, tantam licentiam vel potius insolentiam indulgeamus, ut nobis tacentibus in Majores nostros dicere audeant, quicquid ipsis in buccam venerit? Nonne tutius erit veritatem tueri & Fratrum errores, qua par est, sinceritate castigare? Verum est, quod utriusque Ecclesiæ Doctoribus in multis Religionis capitibus major lux exorta sit, postquam Reformatores in terris esse desierunt, cum disciplinæ fere omnes ingens incrementum acceperint. Attamen propterea non desinamus eos venerari, neque patiamur, ut manes illorum injuriis atque contumeliis turbentur, nam magnas ipsis debemus gratias, quod
recen-

(i) Quis autem unquam dixerit hos ÆQUOS esse, aut pacis studiosos? Aut quo jure postulamus, ut omnis in judicando temeritas, omne contentionis studium, omnis convitiandi libido penitus ex Ecclesia Protestante exulet? Hoc quidem optandum magis, quam sperandum est: Erunt semper inter Fratres iniquiora ac livida ingenia; quæ si contradicendo ac disputando ad frugem revocari, aut penitus opprimi possent, næ ego primus forem, qui classicum canerem atque ad aciem adversus ea instruendam cunctos exhortarer.

recentioribus præeundo viam commonstrarint:

*Per varios usus artem experientia fecit,
Exemplo monstrante viam.*

Quod Ernest. Val. Læscherum, quem jure Theologum incendiarium dicis, sæpius redarguam & ejus fraudulenter dicta ex tenebris protracta refellam, approbas, gratias tibi ago, quod mihi hanc laudem concedas. Attamen ipse quicquid hoc officii est, quod historiæ studiosis præstiti, non tanti facio, quanti illud, quod Viros illo longe perspicaciores & clariores inconsiderantis, seu si mavis, intemperantis iræ admonere ausus fuerim.

Jam ad Calvinum descendam. Præfationis meæ caput est, ut demonstrem, ejus doctrinam de Prædestinatione (k) ab Hobbessii placitis toto cœ-

S s 5 lo

(k) Quum in causam ipsam descendit, Συμμάχων instituit Cl. Fueslinus καὶ ἀπὸ δέξου; Etenim neque Mosheimius, neque Burnetius, neque Cudworthus, cum quibus illi res est in sua illa Præfatione, diserte contendebant, ipsum Calvinum in doctrina de Prædestinatione ita cum Hobbessio sensisse, ut nullum sit inter eorum theses & asserita discrimen. Immo ne quidem ad Calvini Systema, ut ab ipso summo Viro conceptum & traditum est, respexerunt, sed diserte Cudworthus de æternis Justi & Honesti notionibus p. 5. monet: Hæc omnia una cum aliis ejusdem plane generis, a NONNULLIS ÆTATIS NOSTRÆ auctōribus diserte probantur & inculcantur, quorum h. l. nomina recitare, haud puto esse necessarium: Unum omnium instar nominare sufficiet JOAN. SZYDLOVIUM, qui in Vindiciis Quæst. difficil. Franekeræ editis, ea ex his dogmatibus, quæ

lo differre, cum hic omnium rerum necessitatem absolutam, quam fatalem dicunt, inducat, eamque e Potentia Dei derivet, adeo ut ipsum Deum
neces-

majorem reliquis offensionem habent, totidem verbis defendere & commendare, non est veritus. Et ipse quoque Ven. Moshemius eo ipso loco, quem Rev. Past. Feld. in præfatione sua citat nim. ad Cudw. librum p. 1202. in not. hæc habet: *Cupide igitur quæ tum temporis inter Anglos vigeabant, DURIORIBUS Reformatorum QUORUMDAM de absoluto Decreto dogmatibus arreptis, omni Deum Justitia [Hobbesius] exuebat. &c. - - - Pulcre hoc observavit eruditiss. & prudentiss. Anglorum Episcopus G. BURNETUS in Hist. temp. suorum ad An. 1661. p. 187. & mox iterum: Doctissimi quique ex Anglis ab Hobbesii temporibus multo sunt inimiciores facti dogmati illi, QUORUMDAM Reformatorum, quod diximus.* Ex quibus clarissime patere arbitror, MOSHEMIUM & CUDWORTHUM & BURNETUM temere cum ipso Calvino committi, atque ipsos a Rev. Pastore tanquam Calvinus cavillatores non sine injuria traduci ac ferulæ ipsius subjici. Quis enim ignorat inter Calvinus Sectatores rigidos quosdam fuisse Doctores, qui durius & incautius de arcano hoc argumento fuerint locuti, quod prudentiores & genuini Calvinus discipuli ne quidem ipsi unquam probarunt? Simul etiam inde patescit, unde Rev. Pastor Feldh. subsidia illa historica, quibus in hac causa utitur, seu potius abutitur, & quibus se in Præfatione sua jactat, maximam partem hauserit. Nihil ergo profus ad eam causam, quam propugnare deberet, facit illa disputatio, an Calvinus, quod ad ipsum attinet Justitiam Dei in absoluta potentia consistere docuerit? etenim neque Triumviri supra laudati, neque etiam ego tale quicquam Calvinus tribuimus, aut utrum recte de hac quæstione docuerit, in debium unquam vocavimus.

necessitate constringere videatur, quasi vi quadam Naturæ suæ ageret absque ratione & consilio: Ille vero omnes rerum eventus voluntate Dei sive decreto ejus attribuat. Quod hæc doctrina *Calvini* sit, longa probatione non indiget. Id testantur quotquot sunt ejus Scripta omnia. Testantur quoque verba, quæ tu citasti V. D. quæque majoribus litteris & tot characteribus excitativis, ut ita dicam, quos vulgo *Nota bene* vocamus, insignivisti. Inter ea præ aliis hæc maxime eminent: *Non alia ratione, quæ futura sunt prævidet Deus, nisi quia ita ut fierent, decrevit.* Sed noli putare, hæc verba evertere ea, quæ ego dixeram:

„ *Calvinum talem rejicere Justitiam Dei, quæ in Potentia consistat, & rerum omnium ordinationem seu dispositionem ex Præscientia Dei & antecedanea ejus consideratione derivare.* „ Ita ego de *Calvini* doctrina sentio, & quod sentio novis argumentis probabo. Sed tibi ordine respondebo. Quod primum attinet, nempe *Calvinum rejicere talem Justitiam Dei, quæ in Potentia consistat*, qualem *Hobbesius* finxit, præter ea, quæ jam in Præfatione supra commemorata protuli, huc faciunt ejus dicta in libro de *Prædestinatione & Providentia* p. m. 1002. Voluminis a *Beza* collecti: *Itaque, ait, Sorbonicum illud dogma, in quo sibi plaudunt papales Theologastri detestor, quod potentiam absolutam Deo affingit, Solis enim lucem a calore avellere, immo suum ab igne calorem facilius erit, quam Dei potentiam separare a Justitia. Faceessant igitur procul a piis mentibus monstrosæ illæ speculationes: Plus aliquid Deum posse, quam conveniat, vel eum sine modo & ratione quidquam agere. Nec vero commentum illud recipio, Deum, quia lege solutus sit, quicquid agat, reprehen-*

ne vacare. Deum enim ex legem qui facit, maxima eum gloriae suae parte spoliatur, quia rectitudinem ejus ac Justitiam sepelit. Non quod legi subjectus sit Deus, nisi quatenus ipse sibi Lex est. Talis enim est inter Potentiam ejus ac Justitiam Symmetria & consensus, ut nihil ab ipso, nisi moderatum, legitimum & regulare prodeat. Et certe quem omnipotentem praedicant fideles, eundem simul mundi Judicem agnoscant, necesse est, ut Potentiam sensu suo apprehendant, Justitiae & Aequitate temperatam. Hisce adjungo verba ejus ex Resp. ad Neb. cujusdam Calumm. p. m. 1006. C. V. Passim Calvinus commentum de absoluta Dei potentia, quod in Scholis suis ventilant Sophistae, acriter repudiat, & detestabile esse asserit, quia ab aeterna Dei Sapientia & Justitia separari non debeat potestas.

Accedo ad alterum, nempe (1) Calvinum rerum omnium ordinationem seu Dispositionem ex Praescientia Dei

(1) Haec est palmaria illa Quaestio, de qua in recensione Praefationis Cl. Fueslini ostendi, me nonnihil dubitare, utrum ejus interpretatio cum doctrina Calvinus in concordiam reduci possit. Et postquam hanc Apologiam perlegi, adhuc incertior sum multo, quam dudum. Non enim Quaestio est, utrum Calvinus docuerit, Deum esse ens sapientissimum justissimumque, quod omnia moderatur ac in certum finem destinatur, cujus Voluntas justa sit, immo omnis Justitiae regula & fons; qui futuros rerum eventus tanquam ante se positos intueatur &c. in quibus probandis Rev. Pastor Feldh. frustra opera abutitur: Sed hoc quaeritur inter nos: Utrum Calvinus aeternum illud Praedestinationis & Reprobationis Decretum ex Praescientia Dei & antecedanea ejus consideratione deriveret. Ob es wahr sene, daß Calvin gelehret habe: Die Nothwendigkeit der Begegnissen rühre von dem Vorherwissen Gottes her, weil er sich alle Dinge, eh sie wirklich waren, vorgestellt,

Dei & antecedanea ejus consideratione derivare. Verum est, quod paululum difficile sit, hanc sententiam conciliare cum loco a te, V. Cl. citato. Duæ vel tres citationes nodum nondum solvent, sed si integrum Systema Calvinii in auxilium adhibueris, res non erit expeditu adeo difficilis. Itaque non in quibusdam locis in Scriptis Calvinii excitatis, ut dicis, acquiescendum est. Sed optarem, (m) ut non ipse ad hunc lapidem impegisses,

und diejenigen gewollt hat, welche ihn seinen Absichten am gemäßigsten zu seyn bedunkt haben. *ic. Quod Clariss. Fueslinus in Præfatione sua pro Calvinii Doctrina, quæ hæctenus a nemine fuerit rite intellecta, venditavit. In ipsa vero hac Apologia pro hoc suo Judicio vel unico loco, quem in mea recensione in contrarium protuli, ita constrictum se videt, ut ipse concedere cogatur, 1.] paululum difficile esse suam explicationem cum loco a me citato conciliare, 2.] ita loqui interdum Calvinum, sicuti ejus adversarii criminantur: Quæ vero hæc criminatio, quæ injuria! si illi tribuant eum sensum, quem eloquitur? 3.] Calvinum deflexisse a via Præscientiam subjiciendo Prædestinationi: quibus verbis cum Calvinii adversariis, quos tantopere exagitat, eandem tibiam inflat, atque confitetur: Calvinum Præscientiam Dei ejus Decreto subordinasse atque in eo errasse. Novum mehercule apologias pro suo Judicio scribendi artificium!*

(m) Ne autem videar ad lapidem illum *προσκόμματος*, scil. ad Rever. Fueslini Præfationem lubenti animo offendisse; aut nodum solvere velle unico loco, qui speciem tantam contradictionis præ se ferat: age plura aperta Calvinii testimonia, atque etiam talia, in quibus eum sensum, quem Rever. Pastor Feldh. ipsi tribuere vellet, acerrime oppugnat oculis tuis subjiciam. *Insti-*

ses , nam MEA Præfatione excitatus in quædam
 loca prolapsus es , quæ dictis meis contraria esse
 viden-

*tut. Libr. III. c. XXI: §. 5. Prædestinationem ne-
 mo simpliciter negare audet: sed eam multis cavillis in-
 volvunt, præsertim vero, qui Præscientiam faciunt ejus
 Causam. Ac nos quidem utramque in Deo statuimus:
 Sed præpostere dicimus alteram alteri subjici. Viden'!
 hic Calvinus illos, qui cum Rever. Pastore Feldh. Præde-
 stinationis decretum ex Præscientia derivant, atque illam
 huic subjiciunt, Cavillatores appellat, qui præpostere
 agant. In Libello de Prædest. & Provid. quem Cl. F. ex-
 istere negat, p. 28. post Objectionem: Cur ea Deus vi-
 tio imputaret hominibus, aut ob ea etiam illos puniret,
 quorum necessitatem sua Prædestinatione imposuit? hæc
 subjicit Calvinus: Hic abstineo a defensione, ad quam
 fere Scriptores ecclesiastici recurrunt: non impedire Dei
 Præscientiam, quo minus homo peccator reputetur;
 quandoquidem illius mala, non sua, Deus provideat. Non
 enim hic subsisteret cavillatio, sed potius urgeret, Deum ta-
 men malis, quæ præviderit, potuisse occurrere, si vo-
 luisse: Cum hoc non fecerit, destinato consilio creasse
 hominem eum in finem, ut se in terra ita gereret - - &c.
 Ergo videamus, quomodo rite nodus expediri debeat.
 Primum omnium, constare inter omnes debet, quod ait
 Salomon: Deum omnia propter semet ipsum condidisse,
 impium quoque ad diem malum. Ecce cum omnium re-
 rum dispositio in manu Dei sit: cum penes ipsum reside-
 at Salutis ac mortis arbitrium: consilio nutuque suo ita
 ordinat, ut inter homines nascantur, ab utero, certæ
 morti devoti, qui suo exitio, ipsius nomen glorificent.
 In Commentario ad Rom. VIII: 29. QUOS PRÆCOG-
 NOVIT, EOS ETIAM PRÆFINIVIT: hæc diserta le-
 guntur verba: Notitia hæc a beneplacito pendet, quia*

PROV.
 XVI: 4

videntur. Hoc aliis quoque Viris doctis accidit,
qui postquam Præfatio mea in illorum manus per-
venit,

Deus nihil extra se ipsum præscivit, quos voluit adop-
tando: Sed tantum signavit, quos eligere volebat. In
Consensu Ministrorum Genevens. Eccl. a Calvino exposi-
to, p. m. 805. hæc uberius explicantur hunc ad modum:
Non concedo, intelligi quicquam fuisse a Deo prævisum,
quod conciliaret illis gratiam: Sed quia gratuito electi
sint, fuisse præcognitos: Quemadmodum alibi docet idem
Paulus, Deum novisse qui sint sui, quia scil. notatos
& q. in suo censu numeratos habeat. Neque hoc quoque
ab Augustino omissum est: Præscientiæ nomen pro Dei
consilio accipi, quo suos in Salutem prædestinat. Præ-
sciri a Deo, quinam futuri sint vitæ hæredes, nemo
non fatetur: Hoc modo in questione versatur; Prævi-
deat ne quid in ipsis facturum sit, an quales a se ipsis
sint futuri? - - - Nec aliter exponi potest, quod in
Petri concione apud Lucam habetur: Christum Dei de-
finito consilio & Præscientia in mortem traditum esse.
Sic enim Præscientiam consilio adjungit, ut discamus,
neque fortuito, neque violento hominum impetu abrep-
tum fuisse Christum ad mortem, sed quia Deus optimus
& sapientissimus cognitor, ita consulto statuerat. &c.
Et in eodem Libro p. m. 710. Paulus hoc juris & pote-
statis Deo vindicat, ut suo arbitrio induret, vel mise-
reatur. Indurandi vel miserendi jus penes ipsum esse
pronuntiat, nec legem illi imponi fas esse, quia nulla
lex vel regula, vel melior, vel æquior, quam ejus vo-
luntas fingi possit. Et p. 824. Quomodo autem Dei
Præscientia & Decreto statutum fuerit, quod de homi-
ne futurum erat; neque tamen in culpæ Societatem tra-
hendus sit Deus, quasi transgressionis vel auctor sit vel

Tim:
11.19

Act. 11:
23

Rom: 9:
19

venit, libros *Institutionum Calvini* pervolverunt, mihi que talia loca proposuerunt, ubi ita loquitur, sicuti adversarii ejus criminantur. Sed respondi ipsis: Quemvis esse optimum sui interpretem; *Calvinum*, ubi de Voluntate & Arbitrio Dei loquatur, supponere ens sapientissimum justissimumque sapientissimis quoque & justissimis rationibus agere: Hoc illum credidisse concedendum esse, quia id passim in Scriptis suis contendat & de adversariis suis queratur, quod doctrinam suam calumnientur. (n) Hæc mihi prima Regula erit, secundum

approbator, quum longe altius humanæ mentis perspicacia esse arcanum palam sit, ne ignorantiam nostram fateri pudeat.

(n) Hic novam nobis proponit Cl. Fueslinus Hermeneuticam pro recte intelligendis Calvini Libris, cujus beneficio hoc efficit, ut Calvinus intelligatur negare, quod verbis affirmat; & affirmare quod verbis negat. Hæc Hermeneutica tribus Regulis concluditur. Ia. *Quivis est optimus sui interpres.* IIa. *Adtendendum est ad Auctoris scopum.* IIIa. *Obscura per evidentiora sunt explicanda.* Hæc quicumque cum Rever. Pastore Feld. recte ad præsentem Quæstionem applicat, videbit Calvinum quoties asserit: *Non alia ratione, quæ futura sunt, prævidere Deum, nisi quia ita ut fierent decrevit; & ideo præscivisse, quia Decreto suo sic ordinaret; ita esse intelligendum quasi contrarium dixisset: Calvin leitet die Gerechtigkeit aus dem Vorherwissen Gottes und der Ueberlegung der Sachen her. h. e. Ideo Decreto suo ordinavit, quia præscivit: & prævidit Deus, quæ futura sunt, antequam ita ut fierent decrevit.* Sed age videamus quomodo R. P. F. ex pumice aut chalybe aquam eliciat! Primam Regulam ita applicat: Cal.

cundum quam omnibus iis, qui Narrationem meam de Doctrina *Calvini* aggredientur, responsurus sum. Dixi præterea in quovis libro legendo adtendendum esse ad Auctoris scopum. Cum Ecclesia, a qua *Calvinus* secessit, merita operum nimium extulerit, illum contra depressisse ea atque gratiam & misericordiam Dei elevare studuisse, quo factum sit, ut caput de Prædestinatione ipsi tantopere curæ fuerit, eamque omnibus Scriptis suis proposuerit. Si igitur dicat: Voluntatem Dei non habere causam & ipsam esse causam omnium; porro, Præscientiam Prædestinationi subjectam esse; non velle eum dicere, quod Voluntas Dei non habeat causas seu rationes, ob quas agat, sed quod non habeat causas extra se seu objectivas, ut Philosophi loquuntur: Hæc mihi

vinus clare docet, *Deum esse ens sapientissimum justissimumque*: Ergo non potuit non Prædestinationis Decretum Præscientiæ subjicere, quicquid etiam in contrarium ipse dixerit: Alteram hunc ad modum in subsidium trahit: *Quicumque merita hominum deprimere & Gratiam Dei elevare studet*, ille non potest Præscientiam Dei Prædestinationi subjicere, aut si hoc facit, tantum vult rationes objectivas voluntatem moventes excludere, ut Philosophi loquuntur, [quod postremum non sine emphasi adjectum reputabis.] Tertiam sine applicatione ad præsens institutum reliquit, & ne unicum quidem locum produxit, aut producere potest, qui asserat, Calvinum Decretum Prædestinationis a Præscientia derivasse, quod tamen probandum suscepit. Neque etiam intelligo, in quo Tertia illa Regula hermeneutica a prima sit diversa: Si enim quisque optimus sui interpretis est: Ille interpretis officio male fungitur, qui res explicandas obscurat & tenebris involvit, aut obscuris ex magis obscuris lucem accendere vult.

mihi erit secunda Regula, secundum quam respon-
surus sum. Denique ipsis dixi: Si quis consideret,
quantis e tenebris *Calvinus* emerferit & quantum
lux Theologiæ & Philosophiæ illius temporis ob-
fuscata fuerit, eum non mirari debere, quod non
semper perspicue & constanter locutus fuerit: Igi-
tur clara & evidentia ejus dicta investiganda esse,
quo obsuris lucem accendant: Hæc erit tertia Re-
gula, secundum quam responsurus sum.

Jam propius ad rem accedam. Quod Deus
præsciverit, quæ ordinavit seu disposuit; vel
quod omnium rerum ordinatio & dispositio ex
Præscientia divina derivanda sit, (o) fluit ex Sy-
stematate

(o) Parturiunt montes, nascitur ridiculus mus! Re-
ver. P. F. in Præfatione sua galeata omnibus bellum indi-
xit, qui negare audent, Calvinum docuisse Decretum di-
vinum ex Præscientia derivandum esse, eosque ferula sua
castigat. Demum cum hoc suum de Calvini doctrina judi-
cium peculiari Disertatione apologetica vindicare instituit,
post splendida promissa, magnumque verborum appara-
tum, tandem huc redit omnis hæc vindiciarum Summa:
*Calvinum non semper perspicue & constanter de hoc ar-
gumento esse locutum. Calvinum in capite de Præscien-
tia hallucinari & quandoque ABNORMIA dicere. Cal-
vinum parum philosophice procedere in hac Doctrina de
Deo & Decretis ejus. Calvinum confuse tractationis
ordinem instituere, & Præscientiam ultimo loco ponere,
quoad nomen tantum. Calvinum Voluntatem Dei non
satis accurate, ut multa alia definivisse. Calvinum de
Præscientia inconstantissime locutum esse. Metum Cal-
vinum in plures alios errores pellexisse. Calvini Syste-
ma non totum perfectum atque rotundum esse, sed dese-
ctibus laborare, quos sibi facile foret emendare. Tan-*

stemate *Calvini*, quanquam in Capite de Præscientia hallucinetur & quandoque abnormia dicat. Ante omnia fateor, eum parum (p) philosophice procedere in tradenda Doctrina de Deo & decretis ejus, quod primo loco ponat Voluntatem Dei causam omnium & deinde loquatur de abyssu rationum, quæ Voluntatem divinam regant. Postea collocet Prædestinationem, in qua suas habet delicias & tandem Præscientiam. Quum hæc confuse ita constituta sint, quæstio est, quos sibi conceptus formaverit *Calvinus* de hisce perfectionibus Dei & quomodo ex mente ejus in ordinem redigenda sint. Meo judicio ad hanc quæstionem ita respondendum est: Quanquam de abyssu illo loquatur post Voluntatem, attamen illum secundum mentem ejus præcedere, quia Voluntatem Dei rationibus regi statuit; & quanquam Præscientiam ultimo loco ponat, attamen hoc eum facere quoad nomen tantum, quoad rem enim talia dicit, ut necessario præcedere debeat. Voluntatem Dei non satis accurate, ut multa alia defini-

T t 2

vit,

dem vero suam explicationem, cui constanter & disertis verbis ac pluribus etiam locis contradicat *Calvinus*; tamen *ab ejus mente non alienam esse & per consequentiam, quam quidem ipse Calvinus non agnosceret, inferri posse.* Bellus mehercle *Calvini* vindex, qui atrocioribus eum accusationibus onerat, quam vel professi hostes: Malim ego malevolorum convitiis sine vindice esse expositum, quam ut mihi hujus commatis Encomiastes obtingat!

*Non his auxiliis nec defensoribus istis
Tempus eget.*

(p) Vide Rever. *Fueslini* Præfat. pag. L.

vit, sed ita tamen, ut definitio probet, illum Præscientiam in Deo concepisse, antequam velit. Est, inquit, *Institutionum* Lib. III. c. XX. §. 43. *Voluntas Dei, qua omnia moderatur & in certum finem destinat, quomodo moderamen, quomodo destinationem in Deo concipere potuisset, nisi ipsi tribuisset Scientiam futurorum, quæ Præscientia dicitur? Hanc Voluntatem Lib. de Prædest. & Prov. p. m. 977. vocat Justitiæ regulam & fontem. Verba ejus digna sunt, ut omnia proponam, quia solícite a Deo amovet potestatem illam arbitrariam & tyrannicam, quam eum Scriptis suis docuisse sexcenti auctores prodidere. Si velle se, inquit, ac jubere pronuntiet mortalis homo, ut pro ratione sit sua voluntas: tyrannicam esse vocem fateor; sed id ad Deum transferre sacrilegi est furoris. Neque enim quicquam Deo immoderatum affingere licet, ut in eo sicut in hominibus exultet libido, sed merito hoc honoris defertur ejus Voluntati, ut pro ratione valeat, quando omnis Justitiæ fons est ac regula. Ita statuit expressis verbis. Sed quomodo Vir magno acumine præditus Justitiæ regulam in Deo concipere potuisset absque præcognitione rerum? Proferam quædam alia ejus dicta, quibus affirmat: *Dei voluntatem in optima ratione & æquitate consistere: Deum nihil sine modo & ratione agere, & ipsi consilii sui rationem constare.* In libro *de occulta Dei Provid.* p. m. 1017. ait: *Voluntas hæc [Dei] etsi neque aliunde pendet, nec aliam habet priorem causam, in optima tamen ratione summaque æquitate fundata est. Nam quum legis freno indigeat hominum intemperies, alia est Dei ratio, qui sibi ipsi lex est & ejus voluntas regula est optima Rectitudinis.* De *Prædest. & Provid.* p. m. 1002. ait: *Facessant ergo procul a piis mentibus monstruosæ illæ speculationes:**

tiones: plus aliquid Deum posse, quam conveniat, vel eum sine modo & ratione quicquam agere. Ibid. p. 977. An mihi portentum hoc unquam venit in mentem, nullam Deo consilii rationem constare? Deum ego Præsidentem totius mundi statuo, qui incomprehensibili & mirifico consilio gubernet modereturque omnia. An fortuito huc illuc raptari vel cœca temeritate eum facere quod facit, quisquam ex verbis meis colliget? Quomodo hæc omnia dici possent de Deo, nisi ipsi tribuatur rerum omnium cognitio, quæ si futura adtinet, est Præscientia? Est igitur manifestum, quod Calvinus Deo tribuerit Præscientiam, quæ voluntatem ejus antecedit, etsi eam quoad nomen, non justo ordine posuerit. Recte eam definiuit Instit. L. III. c. XXI. §. 5. Præscientiam, inquit, quam tribuimus Deo, significamus omnia semper fuisse ac perpetuum manere sub ejus oculis, ut ejus notitiæ nihil futurum aut præteritum, sed omnia sint præsentia, & sic quidem præsentia, ut non ex ideis tantum imaginetur, qualiter nobis obversantur ea, quorum memoriam mens nostra retinet, sed tanquam ante se posita vere intueatur ac cernat. Atque hæc Præscientia ad universum mundi ambitum & ad omnes creaturas extenditur. Recte, inquam, incepit, ita definiens Præscientiam divinam; sed deflexit a via, hanc Præscientiam sujiciens Prædestinationi. Causa fuit (q) me-

T t 3

tus

(q) Parum novisse videtur Calvinus ingenium Rev. P. F. quum ipsi meticolositatem tribuit: Legat quam mascule ubique illos aggrediatur, qui suadent parce vel nunquam Prædestinationis Doctrinam esse attingendam, quique, ut ipse loqui amat, a qualibet ejus quæstione, non secus atque a scopulo refugere docent: & desinet merum illi in hac causa objicere.

tus ejus de Prædestinatione , in quam ab hominibus nihil influxisse voluit. Propterea de Præscientia inconstantissime locutus est. Modo eam cum consilio Dei junxit ; modo eam pro ipsa Prædestinatione posuit ; modo eam subjectam esse dicit. Vid. Libr. de *Prædestin. & Provid.* p. m. 957. & *Instit.* L. III. c. XXI. §. 5. & c. XXIII. §. 6. Hic certe metus eum in alios plures errores pellexit :

Malus interpret rerum metus.

Hoc in defectibus numero , quibus Systema ejus laborare dixi , nam monui , illud non totum perfectum atque rotundum esse. Hic loci aliquid aspergi posset ad illustrandam & emendandam Doctrinam ejus , sed lubens hoc labore supersedeo. Mihi satis erit , si demonstravero , ea , quæ de Doctrina *Calvini* dixi , ab illa non aliena esse.

Quod reliquum est , a te peto , V. E. an te omnis adeo Humanitatis erga me pœniteat , quod mihi ita insidieris ? Quo enim spectat hæc (r) accusatio : *me Serveti adversus Bullingerum patronum agere ?* Qua quæso in re hujus Hæretici patronus sum ?

(r) Perierunt vera rerum vocabula ! Supra ostendi Rev. Pastorem F. dum Calvinum vindicare se velle professus est , eum reapse accusasse : hic vero ipse in accusationem convertit , quod laudi ego tribueram : hætenus enim non potui aliter sentire , quam in fide digno historico isthoc summam laudem mereri , si sincerum ejus veritatis studium & ἀπροσωποληψία in conspicuo collocetur. Ceterum aliis dijudicandum relinquo , qua modestia ac reverentia Cl. F. in culpando Bullingero versatus sit ; & an Bullingeri judicium de Serveto ejusque Sectariis non benigniorem & æquiores interpretationem pateretur.

sum? *Bullingerus* illum inter Anabaptistas numeravit. Hoc ego omni modestia & reverentia in sanctissimo Viro culpavi, quia *Servetus* nunquam Anabaptistarum consortiis implicatus fuit. Nonne malevolentiae speciem habet, quod talia de me dicas, praesertim hisce temporibus, quibus omnia suspicionibus plena sunt? Titulum libri a me editi (s) proscindis, quod ad Teutonum gustum copiosissimus sit. Eja an nihil rectum est, quod a Teutonibus proficiscitur? An omnia illa atro carbone sunt notanda? Quocunque modo hoc se habeat, ego affirmare possum, quod nihil a Teutonibus mutuaverim, sed Bibliopolæ obsecundavi. Quod hoc hominum genus aliquando obsequiis devinciendum sit, æque ac ego nosti: Sed miror, quod tua censura solum mei libri titulum vexet. Nam si titulos mensurare soles, cur

T t 4

non

(s) Quis dixerit omnia, quæ a Teutonibus proficiscuntur, atro carbone esse notanda? Quis omnia sine discrimine probanda esse affirmaverit? Defatigabar describendo Libri illius titulo, & quum opportune occurreret hæc Actorum Trivultiensium animadversio, non posse me melius tædium ex hac opera conceptum vindicare existimavi, quam si his ipsis verbis hunc promissorem magno hiatus horum verbis PROSCINDEREM scilicet! Si quærat ex me cur sui Libri titulum mea censura vexet, non item etiam alios. Facilis est responsio; quia non alium æque dicacem ac ridiculum hæctenus oculis meis usurpavi, quum enim formas Scriptionum longo Sirmate enumeret, *Urkunden, Manifeste, Missive, Unterredungen, Verträge, Lehr-Sätze, Confessionen, Schutz- und Streit-Schriften*, &c. perinde ineptus ad erudiendum mihi videbatur, ac si quis Librum inscriberet: *Ein Buch, das in viele Theile, Bücher, Capitel, Abschnitte, Paragraphos, Periodos* &c. eingetheilt ist.

non etiam illum mensurasti, qui in frontispicio Novitatum tuarum fuit & una tantum linea meo brevior est? Cur non illum, qui in frontispicio Novitatum præcedentis Particulæ apparet, nam sex integris lineis meo longior est? Si libro meo non implevissem, quod in titulo ejus promisi, merito illum culpasses. Cum autem ipse factus fueris, quod labor meus utilis & gratus habendus sit iis, quibus Historiæ studium curæ cordique est, de Titulo non laboro, an paucis lineis longior sit, quam Gallis illorumque Imitatoribus placet. Vale Vir Cl. Scripsi d. 26. Jan. 1748.

F I N I S.

Non addo nisi illud *Apuleii* in *Apol.* p. m. 442. *Quod si forte inepta videbor & oppido frivola velle oppugnare, illis debet ea res vitio verti, quibus turpe est - - - hæc objectasse; non mihi culpæ dari, cui honestum erit - - - hæc diluisse.*



NOVA